

attoniti, et quodam quasi prodigio stupefacti, præsertim presbyter ipse dirigit: et iusjurandum, quod non veritati sed humanæ gratiæ devoverat, abjuravit. Sic igitur antiquus hostis, qui virus suæ malitiæ cordi presbyteri, ut contra veritatem juraret, infudit, adesse se huic juramento per familiarem sibi bestiam visibiliter demonstravit illarum quoque patruus, qui rem quidem noverat, sed pro favore viri, veritatis testimonium suppresserat, mox ut a iudicio recessit, simul cum eo, cui insidebat equo, in præcipitium decidit: quem sibi substratum bestia toto corpore pene usque ad mortem vehementer allisit. Ut divina dispositio patenter ostenderet, quia qui constantia spiritus pro veritate stare noluerat, etiam corpore non immerito cecidisset.» Quibus addi potest quod in vita Sancti Eduardi regis Angliæ scribit Ealredus, apud Surium, 5. januarii, de Godwino comite, qui de morte fratris regis se purgaturus apud regem: « Scio ego rex, inquit, scio adhuc de morte fratris tui, tuus me accusat animus, nec eis æstimas discredendum, qui me vel tuum vocat proditorem. Sed secretorum omnium conscius Deus iudicet, et sic buccellam hanc, quam manu teneo, guttur meum faciat pertransire, et servet illæsum, sicut nec tuæ proditiōis reus, nec de fratris tui nece mihi conscius existo. Cumque vir beatus buccellam manu benedicens signasset, miser ille eam ori inferens, usque in medium gutturis pertraxit. Tentat interior trahere, nec valet; tentat emittere, sed firmiter hæsit. Mox meatus, quibus ducebatur spiritus, ocluditur, vertuntur oculi, brachia rigescunt. Intuetur infeliciter morientem rex, et ultionem in eum sentiens processisse divinam, adstantes alloquitur dicens: Extrahite canem istum. Et factum est ita.» Sed ad extremum audiamus Sanctum Chrysostomum falcem illam Zachariæ nobis exponentem, homilia XXVII. ad pop. « Falx, inquit Zacharias, volans erat longitudine cubitorum viginti, latitudine cubitorum decem. Volans velocissimum ultionis incursum, significat juramenta sequentem. Multorum vero cubitorum latitudo et longitudo vehementiam indicat et magnitudinem malorum. At ex cælo volare, ex superno tribunali sententiam ferri; falcata vero forma inevitabilem supplicii sortem. Sicut enim quocumque falx incurrit, non solum secum arripit, verum et caput amputat; itidem et pœna jurantibus ingruens est difficillima, nec prius absisteret, quam quod suum est obiret. Quod si jurantes evadimus, ne confidamus: ad nostrum enim malum hoc fit. Nam quid censetis? Quot post Ananiam et Sapphiram eadem quæ illi sunt

ausi? Quomodo igitur eadem non sunt passi? Non quoniam ipsis ignotum sit, sed quoniam majori differuntur malo. Multa namque peccantes nec dantes pœnas, terri magis ac timere debent; augebuntur enim eis supplicia propter impunitatem et Dei longanimitatem, etc. Recordamini fratrum Joseph, qui fratrem suum vendiderunt, jugulare tentarunt, vel potius ipsa promptitudine jugulavere. Deceperunt, contristarunt senem, nihil pluribus post annis passi sunt; tandem vero in extremum periculum inciderunt, et hujus reminiscuntur criminis. Hoc itaque valde sapienter efficitur. Nam audi quid dicant: Et merito: in peccato enim sumus de fratre nostro. Itidem et tu, cum aliquid acciderit, dicas: Etiam in peccato sumus, quoniam Christum non audimus, quoniam juravimus, juramentorum frequentia et perjuria super caput meum venerunt: confitere; nam illi quoque confessi sunt, et salvi facti. Quid enim et non si statim ingruit ultio. Nam et Achab propter Naboth, non statim post peccatum passus est ea quæ pertulit. Quare autem hoc fit? Dat tibi temporis præfinitionem, ut abluere possis: cum vero perseveraveris, tunc demum pœnam infligit.» Sic ille.

CONCIO IV.

TRIBULATIONIS MAGNA ALIQUOT BONA.

I. Compellit recurrere ad Deum. — II. Humilem facit. — III. Cogit orare. — IV. Docet obedire. — V. Cogit inire pacem et familiaritatem cum humilibus et miseris. — VI. Trahit ad se divinum auxilium.

THEMA.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. XVII.

Mirum quid de virgine quadam, Angadrisius scribit Marulus, libro V. capite IV. Hæc a patre desponsata Ansherto cuidam, Wandergisillii comitis Palatini domestico, pro tutanda virginitate a Deo precibus impetravit, ut lepram incurreret. Qua in ipsa deprehensa, exhorruit eam sponsus et repudiavit, quam prius adamarat. Itaque virgo voti compos facta, religionem professa, et rursum a Deo sanata est; quo palam fieret, ideo factam fuisse leprosam, ne fieret corrupta. Mirum inquam hoc videbitur vobis, auditores, quod sibi lepram aliquis, morbum tam abominabilem, postulet a Deo. Et tamen uti huic virgini optata fuit lepra, quia et salutaris; ita et leprosis in hodierno evangelio utilis sane fuit, dum ejus beneficio ad Christum ejusque cognitionem ad-

ducti sunt. Quod de lepra dico, de quocumque tribulationis flagello intellectum volo. Graviter quidem audiunt aures nostræ sonitum flagelli seu tribulationis, et vel ipsa voce terrentur. Verum hac ratione etiam flagella dampnanda et averruncanda essent, quæ triticum e paleis excutunt; bacilli, qui pulverem e vestibus; potiones medicorum, et instrumenta chirurgorum, quæ morbos et vulnera curant; spinæ denique ex hortis, quæ odoriferas gignunt rosas. Hujusmodi autem sunt lepra et morbi alii, ac quæcumque tribulationes; quæ in se quidem asperæ et horridæ, fructus tamen optatissimos producent; uti vel ex his leprosis colligemus.

I. Leprosi isti Christo occurrerunt, ut medelam ab eo quærent. En tibi fructum fœdæ illius lepræ, et cujuscumque tribulationis, quæ compellit hominem sive peccatis sive miseris aliis onustum recurrere ad Deum. Quando enim viri isti, præsertim Samaritanus, illorum unus, ad Christum ejusque cognitionem et fidem venissent, tanto præsertim desiderio et cursu, nisi lepra eos impulisset? Plurimi quidem alii ad Christum veniebant, ut eum vel audirent vel viderent: nulli tamen majori conatu et desiderio, quam qui gravi aliqua infirmitate vexabantur. Hemorrhœissa in conferta turba se intrusit, ut fimbriam ejus tangeret: Chananæa pro filia orans ter repulsam passa, non destitit a precibus: cæcus ille clamans, tacere jussus, multo magis clamabat: paralyticus a quatuor bajulis per tecti tegulas deponitur ad ejus pedes: centurio pro servo charo mittit legationes: regulus multo itinere ad Christum properat, et pro filio ægro sollicitè et instanter rogat: pater alius pro filio energumeno orat cum lacrymis: denique, leprosi hodierni currunt ad eum. En igitur quam verum illud Divi Gregorii: *Mala nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* Quemadmodum ergo ad cœnam illam magnam, Lucæ XIV. nulli venerunt nisi tandem pauperes, et debiles, et cæci et claudi, ac qui denique compulsi sunt intrare; ita fere contingit, ut paucissimi veniant ad Christum ejusque cœlestem cœnam, nisi qui paupertate aut infirmitate aliisque similibus plagis compelluntur. Hi sunt servi illi et invitatores muti, qui longe efficacius vocant homines ad cœnam illam, quam omnes concionatores suis clamoribus. Quanti concionatores fuere Moyses et Aaron? Plus tamen effecere culices et ranæ apud Pharaonem ut dimitteret populum, quam illorum orationes, clamores et objurgationes. Quantus et quam eloquens propheta fuit Isaias? Hic tamen Manassen regem sceleratum revocare ad pœnitentiam non potuit; potuere vincula

Babylonica, quibus Manasses aggravatus fuit. Unde bene idem Isaias, cap. XXVI. ait: *Domine in angustia requisierunt te: in tribulatione murmuris doctrina tua eis,* Hebr. *malma*, quod et *doctrinam et stimulum* significat. Ait ergo homines plerumque sicut pecora stimulari tribulatione debere, ita ut bene sentiant et caro eorum murmuret, sicque in angustia positos reverti ad Deum, Sicut enim fortes et efferatæ bestiæ, uti elephantæ, flagellis et esurie solum edomari queunt; ita homines superbi et libertini, quorum doctrina et disciplina non est nisi stimulus, quo docentur asini. Memini leonem Monachii, anno 1604. ad pugnam cum aliis bestiis committendam, non alia ratione in caveam ligneam, qua educeretur in certaminis locum, impelli potuisse, nisi fame pene confectum, dum non alia ei data fuit esca, nisi quæ caveæ imponebatur. Simili modo Carolus M. Hunnos in montibus Budæ obsessos, non nisi fame oppressos coegit, ut se dederent et christianam fidem amplecterentur, apud Bonfin. l. I. dec. IX. De cervis compertum est, quod a canibus diu agitati, aut jaculo confixi, tandem ad venatores et homines se recipiant, velut apud ipsos humanitatem reperturi et gratiam: sic quoque effrænes homines vix alia ratione ad Deum reducuntur nisi agitentur canibus tribulationum et jaculis plagarum; quibus se agitatam et confixam fatetur David, Psal. XXXI. dicens: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina: et tum subdit: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Sic denique filius prodigus, postquam a fame, frigore, nuditate, velut a canibus prope exagitatus fuit, tum demum dixit: *Surgam et ibo ad patrem meum,* Luc. XVI.

II. Steterunt a longe. En tibi fructum alterum, humilitatem. Cum enim ex lege separati esse ab hominibus deberent, ne quem inficerent; indignos se rati sunt, qui prope ad Christum accederent. Eadem lepræ plaga mire depressit Oziam regem Juda, cum superbia elatus sacerdotale munus invasit, adolens incensum super altare thymiamatis, nec parens dehortantibus, sed minas potius intentans. Mox enim tetigit eum lepra et deformavit in fronte, unde ex templo, tum pudore, tum vi legis ductus, discedere coactus est (quod et fecit celeriter præ terrore); resignare quoque muneri, regno et tota reliqua vita habitare in privata domo velut leprosus; necnon extra regium tumulum sepultus est, IV. Reg. XV. et II. Par. XXVI. Quomodo lepra superciliosum Oziam, sic etiam Mariam depressit, Moysis sororem, et ipsam superbia inflatam contra fratrem Moysen et uxorem ejus Ethio-

pissam, Num. XII. Dum enim fratri se æquare, velut ipsa quoque prophetissa, et uxori ejus præferre conatur, lepra a Deo percussit, et separatur extra castra. Atque ne in similem fastum abriperetur aliquando Moyses, mirabili ostento Deus illum præmunivit. Jussit ut imponeret manum in sinum et extraheret: extraxit, et leprosam reperit, Exod. IV. Causam dat Theodoretus, q. X. in Exod. dicens: *Deus legislatorem Moysen admonuit, ne de se alto sentiret, quod per leprosam manum naturæ suæ cognosceret imbecillitatem.* Habuit certe Moyses manum thaumaturgam, prodigia operantem. Ne igitur oscularetur manum suam, et sibi ea adscriberet, leprosam illi reddit Deus; monens fieri posse, ut leprosus fiat, a populo ejiciendus. Persuaserant adulatores Alexandro M. eum Jovis filium esse; qui honore delectatus, *talem* se jactabat. At ubi in obsidione ejusdam urbis, muros circumiens, ictu sagittæ in crure læsus, cruorem aspiceret et dolorem sentiret; ibi alas demittere ac dicere: *Omnes quidem jurant me Jovis filium esse, sed vulnus hoc me hominem esse clamat,* Seneca, ep. LX. ad Lucil. Ad Gades fons est (teste Strab. l. III. Plin. II. c. XCXVII.) qui cum vicini maris æstus maximus est, tum decrescit. Mare tribulationes in ss. litteris significat, quia eas crebro causat suis tempestatibus, et quia amarum est. Quando igitur tribulationes crescunt, et tentationes fervescunt, decrescit et deprimit se homo per humilitatem: quomodo David, sæviante contra se Saule, depressit cor suum, *canem* se appellando: *Quem persequeris rex Israel? Canem mortuum persequeris,* I. Reg. XXIV. Erigunt se quam plurimi consilii suis viribus et honoribus, quamdiu nil adversi patiuntur. At ubi in calamitatem, v. g. in morbum incidunt, videntque se nec florente ætate, nec opibus, nec honoribus aut amicis quidquam juvari posse, tum demum se humiliant, et Deo manus dant. Idem per mysterium docuit angelus Jacob, quocum luctabatur, Gen. XXXII. Cum enim superare eum non posset, secuit nervum femoris ejus, ut debilitarentur vires. Et cur? Ne Jacob, qui viderat se angelo quodammodo prævalere, sibi de robore suo nimium placens, superbiret, ut ait Theodoretus. Sensit enim ex femoris ictu, se non modo ab angelo vinci, sed et facile occidi potuisse. Pari modo cum Deo multi pertinaces diu multumque luctantur, nec ullis Dei beneficiis vinci se patiuntur. Quid igitur Deus? Venit eum flagello aliquo, et humiliat eos, ut suam infirmitatem agnoscant.

III. Leva verunt vocem dicentes: *Jesu præceptor, miserere nostri.* En fructum alium, ferventem orationem. Communis fere hominum querela

est, quod ad orandum sentiant. Quæ causa? Tribulatio deest, quæ illos excitet, Unde S. Augustinus, in Ps. XLIX. ad verba: *Invoca me in die tribulationis:* « Ad hoc, inquit, permisi diem tribulationis tibi fieri, quia forte, si non tribulaberis, non invocares me. Cum tribularis autem invocas me; cum invocas me eximam te; cum eximam te, glorificabis me, ut jam non discedas a me. Obtortuerat quidem (David) et frigerat a fervore orationis, et dixit: Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi. Inveni tribulationem tamquam aliquid utile, putruerat labe peccatorum suorum, jam sine sensu remanserat, inveni tribulationem tamquam ustionem et sectionem. » S. Chrysostus. hom. V. de incomprehens. Dei natura, rem ita pulchre explicat: « Orationem, dico, inquit, non tenuem illam et desidiosam, sed eam, quæ intenta ex animo dolente et corde contrito proficiscatur. Hæc enim est, quæ in cælum scandere valeat. Et quemadmodum aqua, dum per plana et ampla spatia fertur, non in altum exurgit, sed tenuem sese late quaquaversus expandit; cum autem manu artificum subtus colligente stringenteque coacta fuerit in angustum, jam inde sollicita omni telo velocius se in excelsum jaculatur, petitque regionem supernam: sic mens humana, dum otiosa et liberior quam expedit degit, diffunditur lateque diffluit; cum autem rerum eventu asperiori, casusque subitus coactante adverso sollicitatur, jam agilius se extrudit, et intentas dilucidasque orationes mittit in excelsum. Atque ut intelligas eas potissimum orationes posse exaudiri, quæ presso afflictioque animo reddantur, audi quid propheta referat: Ad Dominum cum tribularer, clamavi, et exaudivit me. » Sic ille. Idem vidimus in vicino nobis Muræ flumine, quod dum intra montes constringitur, cum impetu fluit et vivax est: at ubi se intra Græcium in planitiem diffundit, languide pergit et tabescit. Hunc in modum ferventer orare edoctus fuit David, quando latitans in spelunca, I. Reg. XXIV. perquisitus a Saule cum 3000. militibus ad necem fuit. Saule enim intrante speluncam illam, in qua ipse latebat, cepit ardentem orare et recitare Psalmum LVI. ut præfert ejus titulus. In quo inter alia sic ait: *Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi: misit de cælo et liberavit me.* Fervens ergo ejus oratio mox audita fuit. Sed quomodo? *Misit de cælo,* inquit. Quid? Chaldaeus paraphrastes explicat ita: *Præcepit araneæ ut ordiretur telam ad defensionem meam.* In ore scilicet speluncæ inferioris, in qua latebat David, ne suspicari posset Saul, inibi eum latere; quomodo S. Fe-

licem Nolanum defendit Deus inter duos angustos parietes, per araneæ telam. Vidit igitur David se præcise unius araneæ telam pro latebra habere. Vehementius ergo cepit instari oratione in tali periculo. Eadem tribulatio ad ferventer orandum compulsi Hebræos in Ægypto jam dilatatos, et inde in Dei cultu et oratione tepentes. Misit enim is. Pharaonem, durum exactorem, qui ignavos operibus luti premeret, et pro mercede flagellis oneraret. In hac tribulatione positi altius extulere vocem; nam: *Ingemiscetes propter opera, vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus,* Exod. II. In quem locum Cajetanus ait: *Clamor tantæ fuit vis, ut ascenderet ad Deum ab operibus. Afflicto siquidem tam crudelis servitutis vires præbuit clamori ad perveniendum ad aures Dei.* Sic et Jonas in ventre ceti demum ferventer orare didicit: *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me,* Jon. II.

IV. Jussi ire ad sacerdotes et ostendere se, iverunt, cæca quadam obedientia, nondum sanati. En parendi promptitudinem, quartum lepræ fructum. Difficile est hominibus captivare intellectum et frangere caput suum, subjicere voluntatem suam aliorum imperio: tribulatio id docet. Docuit sane, et quidem lepra, potentem illum principem militiæ regis Syriæ, Naamanem obedire pauperi Elisæo. Qui rogatus ab eo ut suis precibus lepram ei abstergeret, non descendit ad eum, sed tantummodo per internuntium jubet eum lavari septies in Jordane. Indigne hoc primum accepit princeps alti spiritus, et reditum in patriam parabat. Sed quid ageret? Lepra cruciabat simul et fœdabat: cum ea domum redeat? Ergo famuli monent ut viro Dei obediat. Paret, et exiit vestes, descenditque in Jordanem septies, ut mandatum fuerat, et sanatur, non solum corpore, sed et animo: dum verum Deum agnoscit et colere incipit, IV. Reg. V. Si non fuisset lepra, nunquam princeps iste ad humilem Elisæum venisset, nec veri Dei cultum amplexus fuisset. Bonus ille Loth audiit quidem angelorum bonum consilium, ut fugiens de Sodomis in monte se salvaret. Verum ipse ascensum metuens, ad pedem montis potius manere in urbe Segor voluit. Cæterum, ubi respiciens vidit igneam pluviam et incendium depopulans vicinas civitates, mutato consilio, ex Segor profugit in montem, quam prius frustra suaserat angelus, Gen. XIX. Audiunt multi Dei vocationem et angeli inspirationes bonas, ut relicto mundo, societate prava, officio periculoso, salvent animam suam in monte religionis, aliove securiore statu; sed frustra. Tribulatio tandem cogit. Videmus passim bruta animantia ab ho-

IV. PARS ÆSTIVALIS.

minibus edoceri, ut per omnia eis obediant et varie ludere discant, uti simias, quandoque etiam feroces bestias, ursos, tigrides, leones. Et qua ratione sub jugum coguntur, libertatis tam amantia? Fame et flagello. Imple ea pabulo, nihil addiscent nec tibi obedient; et si prius paruerunt, mox redibunt ad ingenium, nec curabunt tuum imperium. Pari modo calamitas reddi, homines morigeros et ad virtutes addiscendas paratos. Absit magistra illa, nullam curabunt vel admittent disciplinam. Ita testatus Isaias, cap. XXVI. *Cum feceris (Domine) judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, et non discet justitiam.*

V. Pacificè inter se vixerunt, cum alii essent Judæi, alii (vel saltem unus) Samaritani. Scimus Samaritanos plane exosos fuisse Judæis, ut nec mensa, nec vase ullo cum eis communi uti vellet: lepra hos inter se composuit, ut depositio mutuo odio, bene inter se convenirent: *Morbi communicatio,* ait Euthymius in hunc locum, *coadunavit.* Soror Moysis Maria facile tulit juxta se Æthiopiissam, Moysis uxorem, postquam ipsa lepra incurrit. Incidant in eandem foveam homo et lupo, vel lupo cum ove, aut vulpes cum anserem; videbis inter eos bellum cessare et pacem regnare. Cur? Quia ambo in afflictione sunt. Pincerna Pharaonis dum in suo officio et gratia regis esset, nihil æstimavit Josephum, velut servum vilem, uti colligitur ex eo, quod restitutus suo gradui, per integrum biennium, etiam post acceptum beneficium, ipsius oblitus sit. At ubi, commissio in regem delicto, compactus est in compedes et carcerem, Josephi aliorumque vincitorum, ibi (ut solent miseriarum socii confabulari) ait Josephus, lib. II. antiq. cap. III. *Familiaritatem cum Josepho contraxit, et quia prudentem existimavit visum somnium ei exposuit, orans ut indicaret si quod subesset præsaquium, deplorans suum infortunium.* Ecce par calamitas sancit familiaritatem, et quidem salutarem inter regium et nobilissimum officialem, et abjectum mancipium, id quod prosperitas nunquam effecisset.

VI. Denique, Christum Dominum suo clamore statim permoverunt, ut medelam eis afferret. Mox enim audiunt: *Ite, ostendite vos sacerdotibus,* q. d. salva res est, jam sanavi, pergit tantum ad lepræ judices. Neque dubitandum Christum ex destinato obviasse his leprosis, ut eorum miseriæ misericordiam impenderet, adeoque ipsum potius occurrisse leprosis, quam leprosis Christo. Est enim inter hominis justis miseriam et Dei misericordiam quædam sympathia, qualis inter magnetem et ferrum: quia sicut magnes ferum, ita miseria et afflictio trahit ad se Dei mi-

sericordiam, teste S. Chrysostomo, qui in eaverba Psalmi IX. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, scribit. « Opportunitatem hic dicit afflictionem. Qua de re? Quod sit mater studii sapientiae, et maxime divinum attrahat auxilium: » et mox: « Tunc autem maxime sentimus auxilium, quando versamur in afflictionibus. » Sane leprosum, tametsi ab hominum consortio separati sint, Deus curam gerit, ut habeant unde vivant. Senex quidam, in vitis pp. ad sexaginta annos leprosus, cum ei pro sustentatione offerretur pecunia, respuit eam dicens: *Tu post sexaginta annos venis auferre nutrimentum meum? Totidem enim annis Deus me sustentavit*. Referunt ipsi leprosi minus se cruciari lepra, si ex pane non proprio, sed mendicato vivant. Mendicatus autem panis, ex sententia S. Francisci, est *panis Dei*. Quare, uti leprosi Deum nutritionem habent, ita afflicti omnes ad Deum recurrentes, ipsum habent auxilium. Vult Deus ut leprosi stipem mendicando quaerant: vult etiam ut afflicti opem ab ipso postulent: *Ego feci, et ego feram*, ait Isa. XLVI. ego feci ut essent leprosi et miseri; ego eisdem opem feram, et supportabo illos gratia mea.

Verum si Deum ad se trahere volunt, adamantem non admittant, cordis scilicet duritiam. Nam qui adamantis instar flagellis non cedunt, sed incudis admodum potius indurantur uti Pharaon, Dei iram ad se trahunt, juxta id Zach. VII. *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, etc. et facta est indignatio magna in Domino exercituum*.

CONCIO V.

GLORIA DEO DANDA GRATITUDINE, PECCATI
CONFESSIONE, VERITATIS ENUNTIATIONE, SUI
ABJECTIONE.

I. Datur gloria Deo gratitudine. — II. Peccatorum
confessione. — III. Veritatis contestatione. — IV.
Sui abjectione et demissione.

THEMA.

Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo.
Luc. XVII.

Magno utique mysterio requisivit olim Deus censum a Judaeis per singula eorum capita, quoties urgente causa numerandus erat populus, dimidium sicii, qui valebat nostros viginti cruciferos, Exod. XXX. *Dabunt singuli pretium*, inquit, *pro animabus suis Domino, et non erit plaga in eis cum fuerint recensiti*. Cur vero suas plagas redimere debebant censu pecuniario? Ad quid pe-

cunia Deo? Nimirum illi populo omnia in figuris contingebant, quae nos Christiani implemus in spiritu et veritate. Census igitur ille, secundum Divum Cyrillum, aliud non denotabat nisi Dei cultum, seu gloriam et honorem, Deo per omnia debitum; quem omnes et singuli creatori suo persolvere et possunt et debent, sive pauperes, sive divites. Hunc censum requisivit Dominus in hodierno evangelio a decem leprosis, nec dedit nisi unus, subtrahere caeteri, jure sane merito propterea notati: *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena*. Nos igitur, auditores, ne et ipsi hanc censuram incurramus, aut peiores alias plagas, demus operam, ut hunc censum Deo exactissime persolvamus. Qua vero ratione dari gloria Deo possit et debeat, docebunt nos ss. litterae, uti nunc audiemus.

I. Gratitudine, uti a Christo Domino in hodierno evangelio. Dant enim Deo gloriam, qui agnoscunt se bona sua habere a Deo, adeoque cum gratiarum actione eidem accepta ferunt; quod Samaritanus quidem fecit, reliqui novem non fecerunt. Unum hoc a nobis exigit tributum Deus pro omnibus donis suis, ut gloriam ei demus gratias agendo; quod adeo justum et aequum est, ut non modo gentiles et alienigenae, qualis erat hic Samaritanus, sed etiam bestiae faciendum esse agnoscant, et vere etiam faciant. Justissima sane fuit illa Dei petitio, qua exegit fructus annuos a vineae suae cultoribus, missis ad hoc primo servis, deinde proprio Filio suo, Matth. XXI. At vero quid ingrati illi responderunt cuculi? *Hic est haeres, inquit, venite occidamus eum, et habebimus hereditatem ejus*. Quod verbum adeo turpe et detestandum erat, ut ipsimet improbi et ingrati Scribae et Pharisei (qui ea parabola notabantur) sententiam in agricolas illos, adeoque in seipsos, tulerint: *Malos male perdet* (dominus vineae) *et vineam suam locabit aliis agricolis*. Merentur ergo ingrati qui gratiarum actionem velut censum seu tributum domino suo subtrahunt, privari bonis et beneficiis acceptis: quod si insuper pro bono malum reddant, male etiam perire. Quis vero nescit aut negare ausit mundum hunc totum et quae in eo sunt, propter nos homines esse creata? Et quo graviore sub onere, quam ut reddamus Deo nostro debitum gratitudinis tributum? Ut laudemus benefactorem? Certe parentem nostrum Adam jure merito ejectum fuisse e paradiso, quod tot tantisque Dei beneficiis nihil retulisse gratitudinis legatur, censet Rupertus, lib. II. cap. XXXIX. Creatus enim a Deo erat ad imaginem ipsius, et imperator mundi constitutus; nec tamen in gratiarum actionem prorumpere audi-

tur: positus est in paradysum, locum deliciarum plenissimum; et adhuc mutus est; datur ei adjutorium simile ei, necdum laudes Deo canit. « Qui ergo gratiam Dei non agnovit, ait Rupertus, non mirum, quod ad hoc pertinet, ut et peccaret et peccatum suum non agnosceret, quia res vicina est; eodem quippe intuitu et suum malefactum, et divinum erga se cognoscit homo beneficium. »

Jam vero, si exterminari ex hoc mundo digni sunt qui Deo censum gratitudinis non reddunt: quid merebuntur illi, qui praeterea, ut Judaei illi injurias pro beneficiis rependunt? Malos male perdet, dixerunt in seipsos Judaei, quod et experti sunt, quando a Tito excisi a patria per orbem postea dispersi sunt, quia Dei Filium, ad se pro exigendis frugibus missum, ejecerunt extra vineam et crucifixerunt. Viderint ergo qui Deo pro acceptis beneficiis mala rependunt, et creaturis sibi ad hilaritatem et salutem impensis impie abutuntur ad injuriam creatoris. Julianus imperator apostata, ut Joannes Bodinus refert, habuit in insignibus sui suae perversitatis symbolum non absimile, aquilam, quae sagittis, de suis met pennis concinnatis, configeretur; indicaturus commune esse imperatoribus, ut ab iis everterentur, quos ad nimios honores exerissent. Quam vere seipsam tetigit, qui Dei beneficio ad imperium evectus, postea a fide deficiens, Deum impugnare, ipsimet Christianorum libris, quibus prius ad fidem informatus erat, cepit! Utinam vero non plures etiam Christiani hunc apostatam sequerentur: quod tamen faciunt illi, qui ea, quam ad benedicendum acceperunt a Deo, lingua Deum blasphemant, et quidem per salutaria, sibi ad salutem parata, sacramenta et Christi vulnera: faciunt, qui vino et similibus creaturis ad reficiendum et exhilarandum animum datis, abutuntur ad beluina inurgitationem et ebrietatem: faciunt alii plerimi, qui dona et talenta sibi a Deo credita convertunt in spicula, quibus in Deum pugnant. Ex unius ingrati hujusmodi supplicio aliorum poenas colligamus, aliquando subeundas. Joas rex Jerusalem, ipsi in cunis servatus a caede et tyrannide Athaliae, clamque enutritus, postea a Joiada pontifice adhuc puerulus in regiam sedem evectus, ad extremum pro mercede, filium Joiadae, Zachariam, quod contra idolorum cultum praedicasset, lapidibus peti atque interfici jussit: *Et non est recordatus Joas rex misericordiam, quam fecerat pater illius secum, sed interfecit filium ejus*, II. Paralip. XXIV. De quo tam immani regis omnium ingratis parricidio ita scribit Genebrardus, in chronico, lib. I. anno 3327.

« Zacharias filius Joiadae in ipso templo occisus est. Hujus sanguis usque ad adventum Nabuchodonosoris, instar ollae bullientis; quasi ultionem deposcens, ferbuisse traditur. Nec id impunitus rex; nam et ipse occisus est a duobus servis. Ex quo autem Joas Zachariam occidit, cesarant Dei in templo polluto responsa et oracula ex debir, secretiore parte templi, in qua erat propitiatorium, et ex ephod, ornamento pontificio, ut scribit Divus Epiphanius. » Ita Genebrardus. Neque haec Dei ultio diutius quam ad finem anni dilata fuit, ut citato Paralipomenon loco habetur. Servi autem a quibus occisus est, erant, ut Lyranus asserit, duo, unus Ammonita, alter Moabita, amici eximiis beneficiis a rege prius condecorati, ut ita ingratus herus ab ingratis necaretur servis. Sed illud maxime notandum, quod sanguis prophetae ebulliens videtur evocasse regem Nabuchodonosorem ad puniendum scelus ingratitude in regnum ipsius. Ebullit adhuc sanguis Christi, et vindictam petit contra ingratos Christianos, qui ipsius sacratissima passione et sanctissimis sacramentis abutuntur, et fervebit usque ad judicii diem.

II. Peccatorum confessione; quemadmodum dixit Josue, quando Achan, furti reum, ad fateandum culpam adhortatus est: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere atque indica mihi quid feceris, ne abscondas*, Josue VII. Quia nimirum Deus uti peccantium culpis offenditur, ita poenitentium confessionibus glorificatur. Primo, quia sic profiteamur nobis adscribenda esse peccata nostra, non Deo, uti blasphemus quidem haereticus docent. Dicimus itaque in confessione: *Mea culpa; non tua, Domine: Mihi confusio, tibi autem honor et gloria*. Ita Daniel, c. IX. confitetur: *Tibi Domine, justitia, nobis autem confusio faciei*, h. e. juste nos punis, et merito nos erubescimus ob peccata nostra. Hoc pacto reddendam Deo gloriam censuere Philisthaei, quando in expiationem irreverentiae suae in arcam Dei commissae, obtulerunt ei anos muresque aureos, et quidem ex consilio suorum sacerdotum dicentium: *Facietis similitudinem anorum vestrorum, et similitudinem murium; et dabitis Deo Israel gloriam*, I. Reg. VI. Eo enim dono fatebantur suam delictam Dei vero justitiam et potentiam. Immunda bestiolae, ut vermes, ranae, serpentes, mures, dum spirant et vivunt, odiosae sunt et nauseam movent; at ex auro conflatae et gemmis distinctae in deliciis habentur: ita peccata, dum patrantur adhuc in anima vivunt, abominatio sunt Deo; eadem vero mactata et accusata in confessione delictae ei fiunt.

Secundo, quia sic testamur Christi, medic. etc.